

QUÆSTIO LXXIII.

DE SACRAMENTO EUCHARISTIÆ SECUNDUM SE.

I. Ex articulis quæstionem hanc absolvit S. Thomas. In primo resolvit eucharistiam esse sacramentum, quia est signum sacrum ordinatum ad dandam gratiam per modum alimenti, sicut baptismus per modum regenerationis, et confirmatio per modum augmentationis. In secundo ostendit sacramentum hoc esse unum, non unitate physica per modum continuitatis vel indivisibilitatis; sed unitate sacramentali, quæ est unitas per modum respectus et ordinis ad unum finem et perfectionem: et sic in isto sacramento concurrunt plura ordinata ad unam refectionem spiritualem per modum convivii. In tertio ostendit hoc sacramentum non esse de necessitate salutis quantum ad realem susceptionem illius, ut patet in infantibus; bene tamen quantum ad votum; prout scilicet eucharistia est finis omnium sacramentorum, et susceptio illorum etiam baptismi est virtualis susceptio eucharistiæ, quia ordinatur ad illam. In quarto ostendit recte hoc sacrificium pluribus nominibus appellari; dicitur enim communio, eucharistia, sacrificium, viaticum, etc. In quinto ostendit convenienter fuisse institutum instante passione et morte Christi, et non post, quia instituebat ut testamentum, et ultimum mandatum, quod arctius deberet insigi in cordibus fidelium. In sexto ostendit con-

venienter fuisse figuratum in pluribus figuris antiquæ legis, præcipue in agno paschali.

DISPUTATO XXVI.

DE QUIDDITATE, NÉCESSITATE ET INSTITUTIONE EUCHARISTIÆ.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum eucharistia sit verum sacramentum a reliquis distinctum?

I. Quoniam cujuscumque rei quidditas per suum genus et differentiam cognoscitur et definitur, breviter in præsentem ostendendum est, eucharistiam quantum ad suum genus est verum sacramentum, et quantum ad suam differentiam esse sacramentum per modum refectionis et cibi, continens corpus Christi.

II. Dico primo: De fide est eucharistiam esse verum et proprium sacramentum novæ legis. Constat illa conclusio ex Scriptura, ex definitionibus Conciliorum, ex traditione Ecclesiæ, et ex congruentia adducta a S. Thoma. Ex Scriptura hoc manifestum est, quia licet eucharistia non appellatur hoc nomine sacra-

mentum, significatur tamen in ipsa Scriptura convenire eucharistiæ quidquid ad rationem sacramenti pertinet, scilicet, quod per illud signum sensibile panis et vini detur gratia, et aliquid sanctum, seu sacrum contineatur in eo, sicut dicitur Joan. vi: *Caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus: qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in eo*: et LIX: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*, ubi nomine panis aliquid sensibile designatur, et per vitam æternam, quam dat nobis, et per carnem et sanguinem Christi, quæ continet, designatur aliquid sanctum, quod continetur, significatur et datur per eucharistiam; quod totum est ipsa essentia et quidditas sacramenti. Idemque sumitur ex institutione hujus sacramenti, quando accepto pane et calice dixit Christus, illud esse corpus et sanguinem suum, Marc. xxvi, Marc. xiv, Lucæ xxii et i ad Corinth. xi. Ex Conciliis etiam constat hæc veritas, quia definita est in Concilio Lateranensi in capite Firmiter, de summa Trinitate; in Concilio Florentino in instructione Armenorum; in Tridentino sess. vii, cap. v, et sess. xiii, cap. i et ii. Ex traditione etiam Ecclesiæ, quia ab initio celebrat hoc sacrificium, et conficit tamquam sacramentum, et hoc nomine ipsum appellat in pluribus collectis, sicut quando dicit: « Præsta ut hoc tuum sacramentum non sit nobis reatus ad pœnam. » Et videri possunt etiam multa capitula in titulo de consecratione, dist. ii.

III. Ratio denique et congruentia S. Thomæ id optime persuadet; nititur enim illi suppositioni, quam supra quæstione Lxv, art. i explicavit, scilicet, quod in lege evangelica Christus instituit sacramenta sensibilia causativa gratiæ, quæ est vita spiritualis, secundum quamdam

proportionem et similitudinem ad vitam corporalem, ut ea quæ spiritualia sunt facilius a nobis cognoscantur, et nobis jungantur. In vita autem corporali quædam pertinent ad generationem et productionem rei in suo esse, quædam ad augmentationem et nutritionem, quædam ad reparationem, quædam ad directionem et gubernationem, quædam ad multiplicationem: ita in vita spirituali Christus Dominus instituit unum sacramentum ad regenerandum nos (scilicet baptismum) aliud ad crescendum et roborandum nos in vita fidei (scilicet confirmationem) aliud ad nutriendum in gratia et charitate (scilicet eucharistiam) ergo convenienter datur aliquod sacramentum (eucharistia scilicet) per modum cibi et nutrimenti.

IV. Dico secundo: Eucharistia est sacramentum distinctum a reliquis, et convenienter ejus differentia ponitur in hoc, quod sit sacramentum dans gratiam per modum cætionis, et continendo ipsum Christum: sumitur ex S. Thoma in hac quæstione, art. i ad tertium, et constat ex ejusdem locis, et Conciliis adductis pro prima conclusione, quia est de fide dari septem sacramenta, quorum unum est eucharistia; si ergo non esset distinctum sacramentum a reliquis, non essent vere et realiter septem sacramenta: quod tamen definit Tridentinum sessione septima citata. Quomodo autem probet istam conclusionem convenientia adducta a S. Thoma, difficile est; tum, quia ex ipsius ratione potius oppositum inferitur; videmus enim quod in vita corporali augmentativum et nutritivum non sunt duæ potentiæ, sed una sufficit ad utrumque munus; ergo etiam sufficit unum sacramentum ad nutriendum nos per eucharistiam, et roborandum nos per confirmationem;

tum, quia dato quod sit nobis necessaria gratia cibativa, sicut et regenerans et confirmans, unde probat S. Thomas, quod tale alimentum et cibus debet esse corpus Christi, si quidem anima nutritur ipsamet gratia, sicut et confirmatur et regeneratur, et sanatur; non ergo affert rationem cur hoc sacramentum debeat esse contentivum corporis Christi, quæ est præcipua differentia illius; tum denique, quia falso assumit S. Thomas, quod sacramentum debet ordinari ad aliquid sacrum, vel absolute in se, vel in ordine ad alios, scilicet, ad sanctificandum nos ut inde inferat, quod eucharistia ordinatur ad aliquid sacrum absolute, scilicet, ad continendum in se corpus Christi.

V. Contra est enim, quia sacramenta ex suo genere solum ordinantur ad aliquid sacrum erga nos, et sanctificativum nostri, ut docet S. Thomas supra quæst. lxxiii, art. ii, si quidem sunt signa practica, quæ operantur illud sacrum quod significant, scilicet sanctitatem in nobis; ergo non potest hoc sacramentum ex sua differentia ordinari ad aliquod sacrum absolute, et continendum in se, quod est corpus Christi. Consequentia patet, quia non potest differentia contractiva alicujus generis contrariari et opponi ipsi rationi genericæ, sed illam debet perficere, eique superaddere; si ergo ratio generica ex ipsa ratione communi dicit esse signum rei sacræ, non absolute, sed prout sanctificantis nos, non potest differentialis ratio contrahere illam rationem communem per hoc, quod sit signum rei sacræ in se absolute, non prout sanctificantis nos.

VI. Dicendum nihilominus est, rationem S. Thomæ efficaciter probare distinctionem hujus sacramenti a reliquis, ex illa analogia et proportionem ad vitam corporalem. Et

licet aliqui teneant, quod in vita corporali facultas nutritiva et augmentativa non distinguantur, tamen oppositum est probabilius et hoc sufficiebat ad intentum S. Thomæ, quia non debuit istam proportionem et similitudinem sumere secundum omnem opinionem, sed secundum veriore et probabiliorem. Veritas tamen est, quod S. Thomas non distinxit ista sacramenta per ordinem ad facultatem nutritivam et augmentativam, sed per ordinem et similitudinem ad ipsum alimentum et augmentum, et generationem. Constat autem quod alimentum et augmentum distinguuntur, quidquid sit, an ipsæ facultates (nutritiva et augmentativa) non distinguantur. Alimentum enim non est ipsa facultas nutriendi, sed materia quæ sumitur ad nutriendum; et hæc manifeste distinguitur a facultate nutritiva et augmentativa; eucharistia autem habet se ut alimentum et cibus spiritualis, non ut facultas nutriendi, quæ est in nobis; et sic patet ad primam instantiam.

VII. Urgebis: Nam confirmatio ordinatur ad dandum nobis augmentum gratiæ, et eucharistia similiter; neque enim dat primam gratiam, sed augmentum illius: ergo desumuntur ista sacramenta in ordine ad idem, non in ordine ad diversa. Quod vero respondet S. Thomas articulo primo ad primum, quod confirmatio ordinatur ad augmentum, quod est in homine, nutrimentum vero ad perfectionem quæ est ab extrinseco, non sufficienter solvit; tum, quia etiam augmentum hominis provenit ab extrinseco, scilicet ex materia quam convertit et superaddit ad se; tum, quia gratia data per confirmationem non est minus inhærens et intrinseca in nobis, quam gratia data per eucharistiam: ergo nulla est differentia.

VIII. Respondetur confirmacionem ordinari ad augmentum quasi majoris quantitatis et roboris; sicut vivens per augmentum perducitur ad debitam quantitatem et robur; eucharistia vero ordinatur ad augmentum quasi nutrimentale, quod formaliter loquendo non auget animal in quantitate majori, sed continuat et conservat in esse per appositionem alicujus extrinseci, scilicet alimenti. Unde videmus quod animal semper nutritur, non tamen semper crescit. Et sic augmentativa habet pro termino per se loquendo, partes integrales superaddere quasi extrinsece ipsi viventi, hoc est, ipsum componentes et integrantes; virtus autem nutritiva solum respicit substantiam ipsam, prout ex aliquo alimento extrinseco continuatur et reparatur, ne absumatur a calore. Sic in istis duobus sacramentis utrumque quidem auget gratiam, sed confirmatio reddendo hominem robustum ad protestationem fidei, ut crescat in virum perfectum; eucharistia autem nutriendo ipsam gratiam, ne continuo calore absumatur. Et cum instatur, quod etiam augmentum hominis venit ab extrinseco, sicut et nutrimentum, respondetur, quod augmentum habet hoc præsuppositive et materialiter, quia non potest novas partes acquirere nisi præsupponendo nutritionem, ex qua fiat illud augmentum; per se autem solum respicit illas partes integrantes superaddere; nutritio vero per se et directe habet conservare et fomentum præbere substantiæ; hoc autem necessario venit ab extrinseco. Ad id vero quod dicitur, utramque gratiam esse extrinsecam, tam in confirmatione quam in eucharistia, respondetur quantum ad inhærentiam in anima, utramque esse intrinsecam, sed non quantum ad dependentiam ab aliquo extrinseco,

ut ab alimento; hoc enim habet in eucharistia, non in confirmatione.

IX. Ad secundum respondetur, quod licet gratia quæ per hoc sacramentum confertur, sit gratia cibans, tamen ex hoc ipso inferitur quod debeat continere ipsum Christum, quia solus est cibus animæ et alimentum. Gratia enim non est ipsum alimentum, sed est ipsa vita animæ, quæ ex Christo tamquam ex alimento conservatur et perficitur per unionem et transmutationem in ipsum. Et sic probando quod hoc sacramentum est institutum a Christo tamquam alimentum, in quod convertitur anima per unionem ad ipsum, probatum reliquit S. Thomas, debere continere Christum; alias non esset alimentum animæ, quia alimentum ejus est Christus, cui unitur.

X. Ad ultimum respondetur, quod de ratione sacramenti est quod significet aliquid sacrum ut sanctificans nos; eucharistia autem continet aliquid sacrum, quod in se sanctum est (scilicet Christum) hoc tamen etiam ordinatur ad sanctificandum nos; atque ita per hoc quod continet aliquid sacrum in se, non contrariatur rationi genericæ sacramenti, quia totum hoc sacrum continet per modum alimenti sanctificantis nos. Nec obstat, quod Christus Dominus, cum sit aliquid perfectius gratia, non videtur posse esse signum illius, quia signum semper est inferius signato. Dicimus enim quod Christus non est pure signum, quia non est sacramentum tantum, sed est res et sacramentum simul, et causa ipsius gratiæ; imo non est per se signum, sed ex speciebus sacramentalibus adjunctis, quibus mediantibus significat: id autem quod est signum et simul causa alicujus rei, non repugnat quod sit absolute perfectius quam res significata, licet secun-

dum quid (in munere scilicet et officio significandi) dicatur inferius, in quantum vices gerit rei significatæ.

ARTICULUS II.

Utrum sacramentum eucharistiæ supponat pro solis speciebus; an etiam pro corpore Christi?

I. Quatuor occurrunt in sacramento eucharistiæ, quæ ad ipsum pertinere possunt, scilicet species consecratæ tamquam materia; verba consecrationis tamquam forma; corpus Christi ut contentum et significatum sub speciebus; sumptio tamquam usus et applicatio hujus sacramenti. De quibus potest esse difficultas in duobus. Primo, an omnia ista concurrant, et pertineant intrinsece ad componendum sacramentum eucharistiæ: secundo, quodnam ex illis sit pro quo directe supponat hoc sacramentum; nam quod non supponat directe pro verbis consecrationis, quæ sunt forma, nec pro sumptione, ex se videtur manifestum, cum hoc sacramentum non se habeat per modum transeuntis, sed permanentis; et sic dicimus sumere sacramentum quando communicamus, et adorare illud: nec tamen sumimus vel adoramus verba consecrationis, aut ipsam sumptionem, sed aliquid ante sumptionem existens. Quare sumptio supponit sacramentum tamquam applicatio illius, et verba non sunt sacramentum, sed forma sacramenti; sicut neque in aliis rebus, seu sacramentis forma est ipsa res formata, sed pars illius.

II. Circa primum punctum difficultatis variæ fuerunt theologorum sententiæ; nam prima docet solum corpus Christi esse hoc sacramentum, non ipsas species conse-

cratas: quod attribuitur Waldensi tomo II de sacramentis, cap. XXI, licet illum ab hac sententia excuset Vazquez hic disput. CLXVII, cap. II: secunda sententia docet sola verba consecrativa esse sacramentum eucharistiæ; ita attribuitur Marsilio in IV, quæst. I, art. I, et quæst. VI, art. II: tertia sententia docet, etiam sumptionem esse partem sacramenti; ita quod eucharistia ante sumptionem, vel non denominetur sacramentum, vel non sit integrum et completum: quam sententiam Aureolo tribuit Capreolus in IV, dist. VIII, art. II, in argumentis contra primam conclusionem. Addit autem Gabriel in IV, dist. VIII, quæstione prima, quod sumptio est sacramentum quoddam distinctum a sacramento eucharistiæ, quia est aliquid sensibile dans gratiam: ergo est sacramentum; sed quia sumptio dat gratiam per modum applicationis sacramenti et signi, non ponit Gabriel octo sacramenta, quia sumptio reducit ad sacramentum eucharistiæ, tamquam aliquid illius ordinatum ad eundem finem, scilicet ad refectionem spiritualem.

III. Quarta sententia docet sacramentum eucharistiæ esse quoddam compositum resultans ex speciebus consecratis et corpore Christi in eis contento; ita quod Christus, etiam in recto, pertinet ad hoc sacramentum constituendum. Ita attribui solet Capreolo dist. VIII citata, articulo III ad primum, et S. Bonaventuræ in eadem distinctione VIII, in expositione litteræ. Eam sequitur pater Suarez III tomo, III part. disp. XLII, sect. III, et Vazquez citato capite V, qui affirmat corpus Christi cum speciebus consecratis ita componere hoc sacramentum, sicut contritio cum confessione componit sacramentum pœnitentiæ; addit tamen capite tertio ita constitui hoc sacramentum per species consecratas

continentes Christum, quod verba non sunt forma hujus sacramenti per modum informantis in genere causæ formalis, sed solum efficientis. Ultima sententia docet, sacramentum eucharistiæ in recto solum supponere pro speciebus consecratis, includere autem corpus Christi ut contentum, et ipsam sumptionem tamquam aliquid ad quod ordinatur; ita quod ordo ad ista sit essentialis ipsi sacramento, non tamen componatur ex illis tamquam ex partibus, aut ingredientibus in compositionem sacramenti; quæ sententia est communior inter Thomistas.

IV. Dico primo: Ad constituendum hoc sacramentum solum concurrunt tamquam partes essentielles et in recto ingredientes, materia et forma, quæ faciunt sensibile signum, et unico verbo dicitur species consecratæ; reliqua concurrunt et requiruntur essentialiter extrinsece, non intrinsece, ut terminus, vel connotatum. Sicut corpus Christi, quod se habet ut contentum et significatum invisibile, non ut signum et sacramentum sensibile; similiter etiam sumptio se habet ut applicatio hujus sacramenti ad suum effectum dandum, non ad constituendum ipsum sacramentum. Hæc conclusio quoad primam partem desumitur ex illa generali doctrina theologorum, quod omnia sacramenta constant ex materia et forma, tamquam componentibus sensibile signum quod vocatur sacramentum; eo quod sacramentum essentialiter ponitur in genere signi sensibilis, ut docet S. Thomas supra quæst. LX, art. I, quod axioma, seu doctrina theologorum sumitur ex illo dicto Augustini tractatu LXXX in Joannem: Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum. Et in decreto Eugenii pro Armenis in Concilio Florentino dicitur sacra-

mentum perfici verbis, ut forma; et rebus, ut materia: ergo id concurreret in recto ad constitutionem sacramenti, quod se habet ut materia et forma ad hoc sacramentale signum constituendum. Neque enim aliquid aliud datur, quod possit ingredi in ejus constitutionem, quia nihil aliud est sensibile in istis sacramentis, quam materia et forma: ergo ex solis illis componitur directe hoc sacramentum, quod constituitur in genere signi sensibilis.

V. Ex quo manent exclusæ illæ sententiæ, quæ constituunt hoc sacramentum in solo corpore Christi, vel in solis verbis consecrationis, vel in sola sumptione. Nam corpus Christi non potest per se solum constituere sacramentum, quia per se solum non est aliquid visibile; sed invisibili modo id ponitur. Similiter non est signum, sed significatum, et contentum in hoc sacramento; ergo non potest ipsum sacramentum directe constituere, quia sacramentum solum est in genere signi sensibilis; significatum autem non constituit signum, sed terminat extrinsece, sicut relatio respicit terminum, et potentia objectum; non autem termini, vel objectum directe et intrinsece constituunt relationem vel potentiam; ergo neque signatum constituit ipsum signum, seu sacramentum, sed solum est terminus extrinsecus illius. De verbis autem consecrationis, et de ipsa sumptione, jam diximus per se sola non esse sacramentum, quia verba per se sola sunt forma sacramenti, non ipsum sacramentum, quod componitur ex materia et forma; sumptio autem est applicatio et receptio sacramenti: ergo supponit ipsum, non constituit. Unde ante sumptionem adoratur sacramentum, et continetur in altari tamquam quid integrum et perfectum in ratione sacramenti, quia est perfectum in